

QUAESTIONUM THEOCRITEARUM

PARTICULA TERTIA,

QUA AGITUR DE IDYLL. XVIII. 26.—28.

SCRIPSIT

IOANNES GOTTLOB ZETZSCHE

PROFESSOR.

(Part. I. de Legibus carminis amoebaei, Idyll. VIII. prodiit Altenb. 1835. — Part. II.
de Idyll. XV. 24. seqq. Altenb. 1843.)

ALTENBURGI

EX TYPOGRAPHEO AULICO.

MDCCCLI.

GEHÖRTSCHAFTS-UND VERWALTUNGSSYSTEM

VERWALTUNGSSYSTEM

VERWALTUNGSSYSTEM

VERWALTUNGSSYSTEM

Verwaltungssystem

VERWALTUNGSSYSTEM



In corruptis veterum scriptorum, imprimis poetarum locis emendandis et ex ingenio restituendis quam caute ac circumspecte sit versandum, ne aut irritos suscipiamus labores, aut, dum sanare volumus vulnera, nova eaque majora infligamus: ejus rei exemplum clarissimum exstat in Theocriti Idyllio XVIII. In hoc enim carmine pulcherrimo suavissimoque, quod de Menelai et Helenae nuptiis scriptum est, Spartanas Theocritus fluxit virgines nobilissimas choro ante cubiculum instituto epithalamium canentes. Quae postquam quaestae primum, quod Helenam matris et sodalium consortio ereptam jam in thalamum inclusisset, felicem deinde praedicaverunt Menelaum, cui prae aliis contigisset virginem et nobilissimam et praestantissimam matrimonio sibi jungere, ad sponsae laudes celebrandas transeunt vs. 26. seqq. secundum vulgarem librorum scripturam hoc modo:

Ἄως ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον,
 πότνια νύξ ἔτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
 ὧδε καὶ ἡ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνεται ἐν αἰνῶν.*)

Quae verba, etsi obiter tantum legenti nequaquam adeo videntur obscura aut implicita esse, ut de mente poetae ambigendum sit, tamen dici vix potest, quantopere virorum doctorum ingenia exercuerint. Nam si accuratius ea consideraveris, neque, quo apte *πότνια νύξ* referantur, habes, neque certum est, utrum ad praecedentia particulam *ἔτε* trahas, an ad sequentia; cui quaestioni simul altera adhaeret haec, unamne an duas voluerit poeta exprimere comparisonis imagines. Vitium igitur traxisse locum sive temporum injuria, sive librariorum culpa, consentiens fuit omnium judicium. Jam si quaeritur, quibus in verbis potissimum lateat hoc vitium, quum a libris manuscriptis nihil omnino redundet auxilii, quumque *Ἄως* et *πότνια νύξ*, conjuncta cum uno verbo *διέφαινε*, conciliari inter se nullo modo possint, nox autem a totius loci argumento quam maxime abhorrere videatur: longe plurimi in verbis *πότνια νύξ* corruptelae sedem deprehendisse sibi visi sunt et in iis emendandis solam morbi, quo affectus est locus, medicinam quaerendam esse putaverunt. Tentaverunt igitur omnia, ut has Noctis tenebras expellerent, non solum qui de prima palma certarent, sed etiam qui jamdudum spectati essent in certaminibus litterariis. Et multa excogitata ingeniose sunt, exposita eleganter, defensa docte et acute; sunt vero etiam in lucem prolata haud pauca, quae si scripsisset Theocritus, ineptissimum eum arguerent esse poetam. Fere omnibus autem accidit, ut, quam quisque artificiose condidisset emendationem, ea vel paucis tantum-

*) Non alienum fuerit adnotare, et hic et in sequentibus me Theocriti verba exhibere ad Meinekii edit. alteram, quae prodit Berolini a. 1836.

modo, vel nulli probaretur, sed ab iis, qui postea ad locum sanandum accesserunt, si non rejiceretur prorsus, at certe reformaretur, ita ut plerique jam non Theocriti, sed ejus emendatorum existerent emendatores. Fuerunt vero etiam, qui alias inirent vias, ut ex his angustiis se expedirent. Qui quum vel in sententiarum de-
via ferrentur, vel a cogitandi dicendique consuetudine cum veterum poetarum tum Theocriti propria aberrarent, multo etiam minus eorum conamina salutem his ver-
sibus ferre potuerunt, perventumque jam eo est, ut, postquam tot viri doctissimi, eruditionis copia non minus quam ingenii acumine insignes, frustra in hoc Theo-
criti loco sanando elaboraverunt, omnem hodie spem abjecisse videantur et in despe-
ratis eum locis habendum esse censeant, cujus salus nisi novis melioribusque auxi-
liis paratis inveniri possit nulla.*).

Quod quam recte factum sit, ut possit dijudicari, et in tanta diversissimarum
sententiarum discrepantia ut tandem ad aliquem finem res perducatur, consenta-
neum videtur totum hunc locum denuo pertractari; et quum haec mihi e scholae
nostrae legibus scribendi provincia nunc demandata esset, non potui neque aptius,
neque gravius, neque quod mihi magis esset gratum, eligere argumentum, quam
illam de his Theocriti versibus quaestionem.

Propositum igitur est primum quaerere de causis, quibus factum sit, ut tot
tantorumque virorum labor et studium in hujus loci emendatione frustra collocarentur,
deinde exponere, qua via et ratione mihi quidem vera ejus forma restituenda et
rectius explicanda esse videantur, quae doctorum hominum ambagibus contorta et
eruditionis quasi nube involuta sunt.

Haec quo jure a me dicta sint, ut perspiciatur, et in sequentibus ne quidquam
desideretur, quod ad rem dijudicandam faciat, neve aut adnotatiunculis conscri-
bendis interpelletur saepius oratio, aut ad aliorum scripta qualiacunque lectores re-
mittantur iisque comportandis et evolvendis retardentur, quod quam molestum in
hisce legendis libellis sit, ipse scio: et nostro et legentium commodo consultum pu-
tavimus, si, quaecunque a viris doctis de nostro loco in medium prolata cognoverim,
quum multis locis dispersa legantur, collecta undique et in unum congesta huic dis-
putationi fuerint praemissa.

Primus igitur CASAUBONUS, quae libri manuscripti et veteres editiones dederunt:

ὥς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνια νύξ ἄτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος etc.

emendari voluit hac ratione, ut in vs. 27. legatur aut πότνια νύξ ὅτε, quod
dictum sit pro ὅτε πότνια νύξ ἐστίν, nocte, nempe desinente (!), aut πότνια
νύξ ὅτε λήγει sive ὅτε ἄλθεν, ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος, quum nox prae-
teritū, verno tempore. Haec quantumvis vituperanda sint, habent tamen eam lau-
dem, quod tribuere aliquid videntur Codicum fidei, quam prorsus evertit HEINSIUS.
Is enim non tantum singulis verbis immutatis, sed etiam membris direntis, senten-
tiarum ordine disturbato et versibus transpositis locum ita exhibuit:

*) cf. Wuestem. ad h. I. Greveri libr. Zur Würdigung etc. 2te Aufl. 1845. p. 132.

— — — ἐπεὶ γ' Ἑλένα παρισωθῇ
 πότνια νύχθ' (i. e. νυκτὶ) ἄτε λευκὸν ἕαρ χειμῶνος ἀνέντος
 ὥς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον·
 ὧδε καὶ ἡ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνεται ἐν ἡμῖν,
 πειρῇ, μεγάλῃ. ἄτ' ἀνέδραμε etc.

Minus quidem violenter, nec vero felicius TOURNIUS haec reformavit:

πότνια νύχθ' ἄτε λευκὸν ἕαρ χειμῶνος ἀνέντος
 ὥς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον·
 ὧδε καὶ — — — — — ἐν ἡμῖν.

Aliam ingressus viam REISKIUS, πότνια νύξ vocandi casu Noctis appellationem continere satuens, uno tantum verbo mutato, quod sententia postulare ei videbatur, scripsit:

ὥς ἀντέλλοισα τεὸν διέφαινε πρόσωπον,
 πότνια νύξ, ἄτε, λευκὸν ἕαρ χειμῶνος ἀνέντος·
 ὧδε καὶ — — — — — ἐν ἡμῖν.

hac interpretatione addita: ἄτε, ὃ πότνια νύξ, ἡ ἀνατέλλοισα ὥς διέφαινε τὸ σὸν πρόσωπον, χειμῶνος ἀνέντος ἕαρ, quemadmodum verno tempore aurora exorians solet vultum tuum, o veneranda Nox, dimicare h. e. radiis suis perforare et diverberare (!), sive: quam formosa est aurora per noctem (!) exsplendescens ineunte vere. Quae quamvis ad sententiam obscura, ne dicam inepta, ad verborum structuram et significationem aspera et insolentia essent, tamen lucem accendisse Reiskius videbatur aliis, qua locum possent illustrare. Itaque quum KOEHLERUS transpositis ad Reiskii exemplum versibus proposuisset:

πότνια νύξ, ἄτε, λευκὸν ἕαρ χειμῶνος ἀνέντος,
 ὥς ἀντέλλοισα καλὸν τοι ἔφαινε πρόσωπον·
 ὧδε καὶ etc.

sequenti ejus rationem sunt BRUNCKIUS τιν pro τοι scribens, AHLWARDTUS καλὸν διέφαινε restituens,*) GALIUS, SIEBDRATUS**) et ZIEGLERUS, qui particula ἢ illata, ut duae restituerentur comparationes, quas in unam illi confudissent, suspicatur haec:

πότνια νύξ, ἄτε λευκὸν ἕαρ χειμῶνος ἀνέντος,
 ἢ ὥς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον· etc.

Ex eodem fonte fluxisse videntur FR. JACOBSII, BRIGGSII et WORDSWORTHII conamina, qui in Noctis quidem appellatione consentiunt, in reliquis autem constituendis aliquantum discrepant. FR. JACOBSIUS enim obtulit olim:***)

ὥς ὡς γελάοισα καλὸν τιν ἔφαινε πρόσωπον,
 πότνια νύξ, ἄτε λευκὸν ἕαρ etc.

*) De altera Ahlwardti conjectura infra dicetur.

**) Theocriti Epithalamium Helenae. Lips. 1796.

***) Ipsum postea improbasse haec et omnem loci emendandi spem abjecisse, colligas ex Wuestem. ad h. l. adnotatione et ex Gothana Theocriti editione novissima, a. 1821.

BRIGGSIIUS emendavit:*)

ἄως ἢ ὅτε τοὶ καλὸν διέφαινε πρόσωπον,
πότνια νύξ, ἅτε λευκὸν ἔαρ etc.

WORDSWORTHIUS autem locum sic refingi voluit, ut

ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
ποττίν, Νύξ (praeilet prae te, o Nox), ἅτε λευκὸν ἔαρ etc.

scribatur, et particula ἅτε in priorē versu cogitatione addatur.

Hi igitur quum reliqua omnia tentantes Noctis tamen vocabulum relinquerent intactum, alii fuerunt haud pauci, qui etiam in eo, quid ars critica valeret, experiri vellent.

Ac primus quidem, ut HEINSIUM et TOUPIUM omittamus, de quibus jam dictum est, exstitit ELICKIUS, qui rejectis, quae audacius illi mutassent, in suum usum converteret Dativum νυκτὶ et leniore mutatione locum ita effingeret:

ἄως ἀντέλλουσα καλὸν ἅτ' ἐφαινε πρόσωπον
πότνια νύχθ', ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος·
ὥδε καὶ etc.

Quam emendationem, quum habeat primo quidem adpectu, quo se commendat — etiam HUGONIS GROTHII interpretatio latina expressisse eandem videtur — arripuit ARETHUSAE auctor; BINDEMANNUS autem, quum latius conaretur ejus fines proferre hunc in modum:

ἄως ἀντέλλουσα καλὸν ἅτ' ἐφαινε πρόσωπον
πότνη νύχθ', ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνι ἀνέντι·
ὥδε καὶ etc.

et Dativis his significari vellet „in Gegenwart der Nacht, — des Winters“ (!), in gravem Eichstadii haud immerito incidit castigationem. Quod vero Eldickii lectione, ἄως νυκτὶ ἐφαινε καλὸν πρόσωπον, sententiae impositum est vulnus, id nec DREXLI ratio:

νυκτὸς ἅτ' ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότν' ἄως ἢ λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος etc.

obscurior illa et durior sanare potuit, neque HERMANNI facilius multo et elegantior correctio:

ἄως ἀντέλλουσα' ἅτε καλὸν ἐφαινε πρόσωπον
πότ τὰν νύχθ', ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος etc.

quam postquam KRIESSLINGIUS utpote omnibus praestantiorē laudavit, immutatam tamen paulisper ita exhibuit:

ἄως ἀντέλλουσα' ἅτε καλὸν ἐφηνε πρόσωπον
πότ τὰν νύκτ', ἢ λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος etc.

*) In edit. Theocr. — In Curis secundis dedit:

ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνια νύξ, ὅκα λευκὸν ἔαρ etc.

GRAEFIUS autem non una, sed duabus rationibus deformavit legi iubens aut:

καλὸν ἄτ' ἀντέλλοισ' ἄως διέφαινε πρόσωπον
ποττὰν νύχθ', ἅτε λευκὸν ἔαρ etc.

aut:

ἄως ὡς τέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
ποττὰν νύχθ', ἅτε λευκὸν ἔαρ etc.

HERMANNUS ipse eam repudiavit et, ne opera et olenum perdantur, *ab omni emendatione abstinendum esse censuit, donec, quae excidissent, ex integriore aliquo Codice fortasse suppeditata essent.* *)

Habemus igitur hic, quod in alio veterum scriptorum loco accidit nullo, unius ejusdemque vocis Nominativum, Genitivum, Dativum, Accusativum, Vocativum, totam denique vocabuli declinationem in auxilium vocatam, neque quidquam inde vexatissimo loco salutis partum esse videmus. Unum videbatur superesse, ut prorsus Nox ejiceretur; nec defuerunt, qui in eo emendationum suarum quasi arcem ponerent. Factum autem id est duplici ratione.

Alii enim νύξ conservare quidem, sed novare significationem ejus voluerunt ita, ut pro Luna dictum existimarent. Hanc viam quum praevisset HUSCHKIUS corrigens:

ἃ ὡς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνια Νύξ**), ἅτε λευκὸν ἔαρ etc.

sequutus est HEINRICHIUS, qui e tribus emendationibus, quarum optionem dat, duas proposuit huic fundamento superstructas.***) Altera haec est:

πότνια Νύξ ἅτε, λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
Ἄως τ' ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
ὦδε etc.

Altera, ad Cod. Vat. (apud Dahl. sec. Warton.) lectionem ὡς pro ἄως composita:

ὡς ἀνατέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνια Νύξ, ἅτε λευκὸν ἔαρ etc.

ita arrisit DAHLIO, ut in textum eam recipere non dubitaret.

His autem quum duo imprimis adversarentur, primum quidem, quod gravissimum est, loquendi consuetudo, deinde vero quod, Aurora hoc modo sublata, omne comparationis lumen extinctum esse videretur, alii ita demum sanari posse locum existimaverunt, ut nomen ipsum Noctis deleteretur, et artis criticae ope inveniretur, quod in ejus locum apte succederet.

*) Vide Pindar. carm. edit. ab Heynio institutam, Hermanni curis repetitam. Lips. 1817. Vol. III. pag. 361. Nec vero in hac perseveravit sententia Hermannus, ut infra videbimus.

**) Huschkus ipse haec explicat in Comment. de Orph. Argon. Rostock. 1806. pag. 32. ita: ὡς ἃ ἀνατέλλοισα Νύξ, ut exorietur Luna etc. Articulum esse voluit ἃ, non relativum ἅ, ut per errorem retulerunt Fr. Jacobs. in edit. Theocr. Goth. priore et Eichstad. in Quaestt. phil. specimine, Lips. 1796. pag. 15.

***) Tertia Heinrichii emendatio:

ἄως ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνια νύχθ' ἅτε, λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος etc.

aliquam cum Bindemanni ratione habet similitudinem.

Jam qui verborum structuram expeditis satis haberent, ii facile in Cod. Flor. lectione, *νῦν* pro *νύξ**), acquieverunt; unde orta esse videntur haec WARTONI:

*ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνια, νῦν ἔτι λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος etc.**)*

BRIGGSII:

*ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνια νῦν, ὅκα λευκὸν ἔαρ (sc. ἐστὶ) χειμῶνος ἀνέντος etc.*

AMEISII:

*ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνια νῦν, ὅτε λευκὸν ἔαρ etc.*

EICHSTADIUS autem, qui sententiam loci non minus, quam verba aegrotare intelligeret, quum observasset *ἄναξ* apud veteres poëtas etiam pro *ἄνασσα* dictum fuisse, deprehendisse sibi videbatur, quo utrique morbo mederetur genuinamque poëtae scripturam unius litterae immutatione instauraret.***) Eldickii igitur vestigia sequutus scripsit:

*ἄως ἀντέλλουσα καλὸν ἄτ' ἔφαινε πρόσωπον
πότνι' ἄναξ, ἄτε λευκὸν ἔαρ etc.*

Facilis profecto et elegans fuit emendatio et quae omnia videretur summovere impedimenta. At vero si quaeris, cui penitus eam comprobaverit vir doctissimus, invenies neminem. Non tamen ab ea discessum est, quin hac, quam Eichstadius monstraverat, via novas loci vel explicandi vel corrigendi rationes investigarent. Nam qui iudicium tulit de Eichstadii libello in Ephemerid. univers. litter. Jenens. (ann. 1796. No. 310.), de reliquis ei assentiens, *πότνι' ἄναξ* ad Menelaum referri maluit; REISSIGIUS autem, feliciter indagavisse quidem syllabarum corruptelam, sed in explanandis verbis erravisse Eichstadium existimans, servata in vs. 26. vulgata scriptura legendum censuit:

*ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
πότνι' ἄναξ, ἄτε λευκὸν ἔαρ etc.*

et ita locum explicavit, ut Helena ipsa dicatur *πότνια ἄναξ* et, si quidem recte ejus mentem perspeximus, hic membrorum velut parallelismus statuatur: *πότνια ἄναξ* (i. e. *Ἑλένα*) *διέφαινε καλὸν πρόσωπον ἄως ἀντέλλουσα* (i. e. *ἄτε ἄως ἀντ.*) et *ἄ χροσέα Ἑλένα διεφαίνετο ἐν ἁμῖν ἄτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος*. Eichstadii vestigia WEISIUM quoque sequutum esse, quum in repetita Tauchnitiana Theocriti editione (a. 1843.) exprimendum curaret:

*πότνι' ἄνασσ' ἄτε, λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον etc.*

*) *νῦν*, quod habet etiam Cod. S. apud Galium teste Ameisio (Poëtae bucolici Graecor. etc. Paris. 1846.) in nott. ad h. l. in praef. pag. XVII., glossatori originem debere videtur, qui vocem *νύξ* ad tempus, quo cecinisse virgines carmen putandae sint, referri ratus indicare id voluit vocola *νῦν* in margine aut supra lineam adscripta; quamquam etiam permutata esse nonnunquam *νῦν* et *νύξ* videmus ex Jacobs. adnott. ad Anthol. gr. Vol. VI. pag. 47.

**) Alteram Wartoni conjecturam dabimus infra.

***) Vide Quaestt. phill. spec. p. 11 seqq.

ex ipsius verbis conjicere licet, quamquam verborum similitudine propius accedit ad alteram WARTONI emendationem:

πότνια ἄνασσ', ἔτι λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
 ὥς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον.
 ὦδε etc.

Denique haud scio an, quae Eichstadius de hoc loco disputavit, vel HERMANNUM permoverint, ut, quum olim contra illum Noctis patrocinium suscepisset (vid. supra pag. 4), postea ipse eam expellendam censeret et legendum nuper proponeret*):

πότνι' ἄτ' ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
 ὥς, ἢ ἄτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
 ὦδε etc.

quae ingeniose quidem inventa, sed audacius, quam quae probari possint, mutata esse judicans AHRENS ab hac quidem culpa egregie cavit, lenissima mutatione loco hunc in modum formato**):

ὥς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
 πότνι', ἄνυξέ τε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.
 ὦδε etc.

sed quam sic condidit sententiam (sicut Aurora exoriens — perficit ver candidum) puto neque ipsum hodie sustinere eam velle, quum in Theocriteorum carminum editione, quae novissima prodiiit***), non ausus sit eam admittere, sed vitium in hoc versu inesse necdum exemtum significare asterisco maluerit.

Cujus vitii sedem quum ad unum fere omnes vel in ὥς vel in νύξ quaererent, singularis hac de re fuit olim HERMANNI sententia, versum excidisse inter πρόσωπον et πότνια νύξ (vide supra pag. 5). Quam quum jamdudum ille abjecisset, instauravisse videtur LACHMANNUS locum assentiente MEINEKIO ita constituens:

— — — — ἐπεὶ χ' Ἑλένη παρισωθῇ,
 ἃ ὥς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
 ὥς * * * *
 πότνια νύξ, ἄτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος; etc.

Haec autem ratio, quemadmodum ad locum expediendum nihil facit nec tollit difficultates, sed in alium tantummodo locum transfert, ita stropharum imprimis proportioni repugnat, ad quam hoc carmen compositum esse recte Hermannus****) docuit.

Una superest, quae commemoretur, AHLWARDTI conjectura, cui tanta cum Itala PAGNINI interpretatione†) intercedit similitudo, ut arreptam ex illa arbitreris. Ea sic habet:

ὥς ἀνατέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
 πότνια νύξ, ἄτε λευκὸν ἔαρ etc.

*) In Schneidewin. Conjectt. critt. p. 167. cf. Ahrens, emendatt. Theocr. p. 25.

**) Emendatt. Theocr. Götting. 1841. Ejus emendationem recepit Ameis.

***) Bucolici Graeci etc. recens. H. L. Ahrens. Lips. sumptibus Teubneri, 1850.

****) Herm. de arte poës. bucol. Lips. 1849. pag. 10.

†) Vid. Eichst. Quaestt. phil. p. 18. cf. Heinrichii conject. alter. pag. 5.

eo quidem sensu, ut *Nox ipsa dicatur os pulchrum ostendere cogiteturque de nocte, qua coelo sereno Luna et cetera sidera fulgeant.**) Quam sententiam, ob numeros versus male cadentes dubitantes ab ipso Ahlwardto prolatam, ab Eichstadio acriter perstrictam, ab reliquis autem omnibus spretam, cur putaverim praeter-eundam non esse, sed postremo loco commemorandam, posthac intelligetur.

His ita enarratis virorum doctorum conatibus, si dicendum jam est, quid salutis allatum sit et verbis et sententiae loci vexatissimi, possum in eo brevissimus esse et uno rem absolvere verbo. Mendum enim, quod latet in verbis non modo exemptum, sed ne exploratum quidem est, quale sit. Cujus sententiae argumenta non longius sunt arcessenda. Arguit enim haec ipsa emendationum diversissimarum et levissimarum ineptissimarumque saepe turba, arguit doctorum virorum vel in aliorum sententiis judicandis vel in suis condendis et stabiliendis dubitatio, arguit denique tota de hoc loco explanando a viris doctis conscripta annotatio. Ambigitur enim hodie non minus, quam Casauboni, Heinsii, Reiskii aetate, utrum Aurora an Nox dicatur *διαφαίνειν καλὸν πρόσωπον*, ac si Auroram praefers, quid de Nocte fiat, num expellas omnino, an Vocativum putes, an *νυκτός* aut *νυκτί* aut *νύκτα* scribas. Dubium etiamnunc est, unamne voluerit poeta, an duas exprimere comparationes, et si hoc statuitur, utrum particula comparationi inserviens in vs. 26. sit inferenda, an cogitando tantum supplenda, sin illud, ejiciasne *ἄτε*, quod in fine totius enuntiationis positum male se habet, an versuum ordinem mutes. Non liquet, si temporis, quo cantavisse putandae sint virgines, significatio in vs. 27. inesse existimatur, utrum Nocti hoc tribuas officium, an Veri — denique dubia et obscura sunt omnia, neque ulla nec ratio nec norma certa esse videtur, ad quam versus illi exigantur.

Cujus rei si causas diligentius exploramus, et delicta videmus hoc loco et commissa esse, quae delinqui in arte critica et committi impune non possunt.

Primum enim, si librorum manu scriptorum spectas fidem, ad quam omnis corruptorum locorum emendatio revocanda est, ea ita viri docti hoc loco usi sunt, ut non neglectam hic illic, sed labefactatam eam et prorsus eversam esse dicas, idque ab iis ipsis, qui intempestivam aliorum mutandi licentiam saepius essent conquesti. Est enim haec prima lex, quae in tractandis antiquitatis scriptoribus sanctissime observanda nobis est, ut ea, quae aut omnes aut optimi Codices tuentur, etiamsi insolentiora vel difficiliora vel aliena a nostra cogitandi loquendique ratione sint, non nisi gravissimis causis permoti et certissimis corruptelae indicibus deseramus et immutemus. In his autem Theocriti versibus ita versati esse videntur, ut, quoniam vitium in aliquo verbo inesse apparet, Codices autem ad unum fere omnes in vulgata scriptura consentiunt, nihil omnino certum judicarent, sed licere jam omnia sibi neque ullam mutandi finem ac modum esse opinarentur. Non enim litteras tantum et syllabas vides esse immutatas, sed etiam verba ejecta et inserta et loco suo mota, enuntiationum membra discerpta, sententias vel praecisas vel amplificatas, totos adeo versus transpositos invitis ac repugnantibus Codicibus omnibus.

*) cf. Ahlwardt. *Zur Erklärung der Ibyllen Theokrit's.* Rostock. 1792. pag. 149 ff.

Neque id certa semper ratione ac via est factum, sed prout vel fors ferret, vel libido lacerasset, vel opinio, in quam quis incidisset, suadere videretur.

Namque haec altera fuit causa errorum, in quos permulti inducerentur, quod aut de sententia totius loci constituenda parum erant solliciti, modo haberent verba, quae legi possent, aut, ut poëtae mentem indagarent et, quae sententiarum imago ei obversata fuerit, explorarent, hos versus exemptos e reliquis per se solos considerabant neque cum iis, quae et praecedunt et sequuntur, componere et conciliare studebant; quo fieri non potuit, quin vana specie decepti aberrarent a vero et umbram captarent. Quid enim? Helenae pulchritudinis descriptionem inesse in his versibus dicunt, non eam, quae accuratam singularum partium expositionem exhibeat, sed quae adumbratam similium rerum comparatione exprimat imaginem. Recte quidem! Sed quarum rerum? Aurorae scilicet et Veris, inquit, qui optime locum emendavisse videntur, ut de ceteris taceam; quis enim tam ineptus foret, ut pulchram puellam velit cum Nocte comparare! Assentior, quae de Nocte dicuntur; quae de Aurora et Vere contendunt, repugno. Primum enim, non facile dixeris, qualis tandem puella esse debeat, quae cum Aurora comparetur, aut qualem tibi fingas imaginem Helenae, quum audias Veri eam similem esse? Nisi forte dicas, poëtae esse obscure loqui! Deinde vero repugnat huic rationi ipse Theocritus reliquo carmine, neque ad eam viri docti potuissent aberrare, si hos versus 26.—28. conjunctos cum reliquis considerasset eorumque quasi lumine illustrasset. Didicissent enim ex vss. 22.—25. (ἄμμες γὰρ — τῶν οὐδ' ἂν τις ἄμωμος, ἐπεὶ χ' Ἑλένα παρὶσωθῇ) et vss. 32.—37. (οὔτε τις ἐκ τάλῳ παρίσδεται ἔργα τοιαῦτα — ὥς Ἑλένα etc.) poëtam nihil voluisse nisi puellas et Helenam inter se conferre, de Helenae autem cum Aurora et Vere comparatione eum ne cogitasse quidem.

Sed totus hic de Aurora locus mirum in modum fefellit viros doctos, qui, quod aliis saepenumero inculcavissent, ne, si recte vel interpretari vel emendare veterum scripta velint, suae aetatis mores ac sentiendi, cogitandi, loquendi rationem in illa inferant, in eo peccavisse jam ipsi arguendi sunt. A nostris enim nostrorum temporum poëtis, nescio quibus, inventum hoc est, ut non solum laetarum rerum ardentius expectatarum adventum, tanquam lucis ex tenebris ortum, Aurorae nomine celebrent, sed etiam summam pulchritudinis laudem ab Aurorae imagine mutuentur, velut in his: „Der Freiheit Morgenroth etc.“ aut „Schön, wie die Morgenröthe etc.“ et aliis ejus generis. Quae quidem ratio veteribus prorsus ignota fuit, non quod hebetior illis pulchri sensus, aut minor Aurorae splendor fuisset, sed quod in hisce formandis imaginibus minus luxuriabant eorum ingenia et ad rerum naturam propius accedebant. Quodsi igitur epithetis quibusdam Auroram ornaverunt, quae aliquam pulchritudinis laudem continere videntur, qualia sunt ῥοδοδάκτυλος, ῥοδοπῆγος et similia, possunt haec facillime ex ejus natura derivari neque eam habent vim, ut in Aurora pulchritudinis quasi exemplar et specimen ab iis expressum esse dicas, quod factum esse ullo veterum poëtarum loco equidem fortiter nego. Neque omnino potuit id fieri, nisi vellent aut ignorare aut immutare naturam Aurorae, quam bene scirent inferioris ordinis esse et, quidquid habeat pulchri, non sua vi ac virtute habere, sed a Sole mutuari. Itaque etiam ubi personae vim ac naturam ei induunt poëtae, Solis tantummodo velut πρόδρομον exhibent, quae

aut ortum ejus et diei adventum nuntiet,*) aut ipsa Solem adducat et diem efficiat;**) quamobrem currus ei et equi, ut Soli, tribuantur.***) Quae quum ita sint, mireris profecto viros doctos, quum hanc Aurorae pulchritudinem emendationum suarum fundamentum esse vellent, ne unum quidem ex veterum scriptis protulisse locum, quo hunc loquendi usum dubitantibus comprobarent.†) Necesse enim est, hoc fundamento everso labefactari omnes loci nostri emendationes, quae ei superstructae sunt.

Satis quidem jam iis, quae adhuc monita sunt, apparet, cur illorum versuum restituendorum conatus prospere nec cesserint viris doctis nec cedere potuerint. Neque vero praetereundum existimo aliam rem, quae quemadmodum recte cognita et diligenter observata in bucolica poësi plurimum prodest, ita aut ignorata aut neglecta nocet quam maxime. Concinnitatem dico, cujus ea apud Theocritum vis ac ratio est, ut non solum per sententiarum quandam similitudinem decurrat oratio, sed etiam membrorum atque adeo verborum singulorum sibi respondentium certam servet aequalitatem.††) Cujus concinnitatis quanta in locis vel obscuris illustrandis vel vitiosis restituendis sit utilitas, nemo non videt, quum, si ordiamur ex iis, quae clara et sana sunt, facilis et probabilis plerumque fiat conclusio ad ea, quae impedita sunt et in dubium vocata. Nostri autem carminis versus 26.—31. ad hanc concinnitatem conscriptos esse et sponte intelligitur, et vero etiam monitum est post Finkensteiniū ab Eichstadio; sed quominus eam accurate†††) exprimeret Eichstadius, cum alia prohibebant tum Aurorae imago, quae mentem ejus praeoccupasset. Longius etiam ab hac membrorum aequalitate recedunt aliorum emendationes; qui utrum non cognoverint eam, an cognitam neglexerint, non ausim dicere; id vero

*) Orph. Hymn. 78. 3. (ed. Herm.) ἀγγελία θεοῦ μεγάλου Τιτῆνος ἀγαίου.

Homer. Iliad. 2, 48. Ἦώς μὲν δα θεὰ προσεβήσατο μακρὸν Ὀλύμπον

Ζητὴ γόως ἐρέουσα καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Iliad. 24, 788. Ἦμος δ' ἡριγένεια φάνη δροδάκτυλος Ἦώς etc.

**) Orph. Hymn. 78. 1. θεὰ θνητοῖς φασίμβροτον ἡμᾶρ ἄγουσα,

Ἦώς λαμπροφαις etc.

Homer. Odys. 5, 390. ἀλλ' ὅτε δὴ τρίτον ἡμᾶρ ἔνπλοκαμος τέλει᾽ Ἦώς etc. quo loco non debebat Ahrens uti ad emendationem suam ἄως — ἀνυξέ λευκὸν ἔαρ firmandam.

***) Theocr. Id. 2, 147. ἀνέκα πέο τε ποτ' ὄρανὸν ἔτραχον Ἰπποῖ

Ἄω τὰν δροδάκτυλιν ἀπ' Ὀκεανοῦ γέροισαι etc.

Id. 13, 11. ὅκα δ' αὖ λευκίππος ἀναιρέχοι ἐς Ἀῶς Ἀῶς etc.

†) Si qui fortasse etiam nunc comprobaturi sint, hos monitos velim, ne Bacchi rationem imitentur, qui ad Ovid. Met. II. 722 seqq: Quanto te, Lucifer, aurea Phoebe etc. sc. splendidior fulget, allatis aliis locis, quae non magis hoc de Aurora agunt, addit haec: Ähnliche Vergleiche der Ἑφῆνης mit Aurora siehe Theocr. XVIII. 26.!

Quae vero comparandi materia inesse in Aurora veteribus visa fuerit, docet Ovid. Met. III. 184. et Amorr. II. 4, 43. Illo enim loco rubor, quo Dianae vultum pudor suffudisset, hoc flava puellae coma cum Aurorae colore comparatur, quod non vereor, ne quis in nostrum locum ad Helenam transferre velit. Theocritus γλαυκὰν Ἄω dixit Idyll. XVI. 5.

††) Copiosius de hac re egi in dissertat. de Theocr. Idyll. VIII. 1835.

†††) In Eichstadii emendatione prius comparationis membrum oneratur addita ad Ἀῶς appositione πότνια Ἄναξ, quum in altero sit λευκὸν ἔαρ. Quod in priore versu est ἀνιέλ-λοισα, ei respondet in altero χειμῶνος ἀνέντιος, utrumque enim Subjecto addit temporis notionem aliquam.

mihi quidem est persuasissimum, hanc non levissimam esse causam, cur, quae protulerunt, neque ipsis neque aliis plerumque satisfecerint.

Pervenimus jam, quo tendebamus, et munita est via ad id, quod reliquum est. Investigatis enim causis, quibus alii in errores inciderunt, quum et cautiones dixerimus, quas hic locus habeat, et leges scripserimus, quibus omnem de eo disquisitionem moderandam esse censeamus, restat, ut exponamus, quomodo nos iis ad restituendos illos Theocriti versus utamur.

Videndum igitur primum est de sententia, quam poeta voluerit hoc loco exprimere. In qua eruenda ne fallamur, non solos esse spectandos hos versus, sed cum reliquo carmine componendos, apparet ex iis, quae dicta supra sunt. Itaque revertendum est, unde orditur tota haec Helenae laudatio, ad quam vss. 26.—28. pertinent. Etenim virgines, quas epithalamium canentes induxit Theocritus, quum primam congratulandi Menelao causam posuissent Helenae generis nobilitatem, quod Jovis filiam duceret uxorem (vss. 16.—19.), alteram sponsae laudem vs. 20. addunt hanc: *οἷα γαῖαν Ἀχαιῶδων πατεῖ οὐδεμὶ ἄλλα*. Quae verba non ita possunt intelligi, ut ad *Ζητὸς θυγάτηρ* referantur — ineptum enim foret dicere: *Jovis filia, qualis nulla alia est in Achaeorum terra*, quasi plures ibi fuissent et minus laudabiles Jovis filiae! — sed ad generalem puellae s. virginis s. mulieris notionem spectant, quae in voce *θυγάτηρ* latet et ex toto verborum habitu apparet. Novum igitur Helenam laudandi argumentum his verbis parari necesse est, neque vero id, quod a singula quadam Helenae virtute proficiscatur, sed ab universa ejus praestantia ac dignitate. Sensus enim verborum est, *nullam in Graecia inveniri virginem Helenae parem, sed Helenam omnibus esse praestantiores*.*) Hanc autem praestantiae laudem, in qua celebranda primariam carminis nuptialis partem versari poeta voluit, sequentibus versibus ita persequuntur canentes, ut, quod primum de Graeciae puellis dixerunt, jam in se ipsis, neque ipsis solum, sed in omnibus Sparta virginibus Helenae aequalibus demonstrent. Pergunt enim: *ἄμμες γάρ***) *πᾶσαι συνομάλιζες*, — *τῶν οὐδ' ἄν τις ἄμμος*, *ἐπεὶ χ' Ἑλένα παρὶσθῇ*. quod usitatissima structurae mutatione dictum est pro: *ἡμῶν γάρ πασῶν* — *οὐδεμία ἄμμος ἐστίν*, *ἐπεὶ χ' Ἑλένα παρὶσθῇ*. Quae his verbis aperte indicatur Spartanarum virginum cum Helena comparatio, quum continuari eam videat-

*) Sic Homerus de Penelope Odyss. 21, 107.

οἷη γὰρ οὐκ ἔστι γυνὴ καὶ Ἀχαιῶδα γαῖαν.

**) *ἄμμες δ' αἰ πᾶσαι* sec. Paris. 10. et Mediol. 75. probavit Meineke, receperunt Ameis et Ahrens, non recte, ut mihi videtur. Volunt enim virgines suo ipsarum exemplo docere Helenae praestantiam, neque vero se opponere Helenae. Illud exprimit *γάρ*, hoc significaret *δέ*. Puto equidem verba *ἄμμες* etc. cum vs. 20. *οἷα γαῖαν* etc. jungenda esse, non cum vs. 21. *ἢ μέγα κεν* etc., quorum verborum mihi haec esse videtur vis, ut canentes et loco et tempore, quo canunt, commotae prolis quoque mentionem interserant, quae ex hoc connubio proventura sit matre non inferior. Hanc vero rem breviter tantum commemorare decebat virgines commemoratamque rursus relinquere; quare hic vs. 21. per se stat solus nec cum reliquis cohaeret. Differt vero etiam, *αἰ πᾶσαι* dicas, an *πᾶσαι*. Hoc enim cum *ἄμμες* conjungendum est et significat: *nos omnes, Helenae aequales, quae etc.*; illud *αἰ πᾶσαι* pertineret ad *συνομάλιζες* et indicaret: *nos, quae omnes sumus aequales* etc. wir, die wir alle, sive die wir die ganzen Gespielen der Helena find, quod mihi quidem non aptum loco esse videtur.

mus vs. 32. seqq. οὔτε τις (neque ulla sc. nostrum) ἐκ θαλάσῳ πανίδεται ἔργα τοιαῦτα — ὡς Ἑλένα etc., sequitur etiam eorum, qui interpositi sunt, versuum eandem esse comparandi rationem, id quod haud obscure significavit poeta vs. 28. Ἑλένα διεφάνετο ἐν ἁμῖν et vs. 31. Ἑλένα Λακεδαιμόνι κόσμος i. e. Spartanis puellis.

Haec vero comparatio ita instituitur, ut, quam antea universe laudavit Helenae excellentiam, eam per partes jam persequatur poeta singulasque ejus virtutes percenseat, eo quidem consilio, ut, — quod bene tenendum est — quantum quaque reliquas virgines antecedit Helena, demonstret. Tria autem sunt capita, quibus puellarum mulierumque laudes comprehendere solebant veteres; quorum primum est oris et faciei nitor ac venustas (κάλλος, εἶδος), alterum corporis figura gracilis ac procera (μέγεθος, φνὴ), tertium denique operum conficiendorum artificium atque solertia (ἔργα). Homerus enim, sicut Minervam, quum accederet ad Ulyssam, his insignivit verbis: ἦϊκο γυναικὶ καλῇ τε μεγάλῃ τε καὶ ἀγλαὰ ἔργ' εἰδυίῃ Odyss. 16, 157., ita Eumaeo narranti, qua fraude e regia patris domo puer quondam abductus fuerit, haec tribuit: ἔσκε δὲ πατρὸς ἐμοῖο γυνὴ Φοίνισσ' ἐνὶ οἴκῳ καλὴ τε μεγάλῃ τε καὶ ἀγλαὰ ἔργ' εἰδυῖα Odyss. 15, 417. seqq. Apud eundem Minerva, ut Penelopae pristinum decus redderet, κάλλεϊ μὲν οἱ πρόωτα προσώπατα καλὰ κάθηρεν ἀμβροσίῳ — καὶ μιν μακροτέρην θῆκεν ἰδέσθαι Odyss. 18, 192. seqq., Alcinoique filiam Ulysses alloquitur ita: εἰ μὲν τις θεὸς ἔσσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν, Ἀρτέμιδι σε ἔγωγε — εἰδός τε μέγεθος τε φνὴν τ' ἄγχιστα ἔσσω Odyss. 6, 150. seqq. *)

Ad hanc igitur rationem Theocritus totum hunc locum descripsit triparpitamque instituit Helenae laudationem. Primum enim tribus versibus κάλλος s. εἶδος Helenae (26.—28.), totidem deinde μέγεθος s. φνὴν (29.—31.), sex denique versibus sive duabus strophis** (32.—37.) ἔργα laudat, addito simul singulis partibus signo, quod in primo statim ejusque strophae versu positum indicet, de qua virtute agatur. Talem enim additam notam agnosco in prima strophā καλὸν πρόσωπον (vs. 26.), in altera μεγάλῃ (vs. 29.), in tertia ἔργα (vs. 32.); quod tantum abest, ut sine causa ac fortuito factum esse putem, ut gravissimum in eo inesse mihi videatur argumentum, quo Codicum lectio stabiliatur, eorumque sententiae refellantur, qui vel versum 26. post 27. collocare, vel καλόν in τεόν mutare, vel in vs. 29. pro μεγάλα ἄτ' ἀνέδραμε scribere voluerunt μέγα λῆον ἀνέδραμε cum Eichstadio,***) aut μελῖα cum Briggsio. Sed, ne longius evagemur, mittamus

*) cf. Odyss. 6, 102. — 18, 218. — 23, 156. — 24, 252. 369. 374. Iliad. 1, 115. Etiam Xenophon habet similia, velut de Gobryae filia Cyrop. V, 2, 7. δεινὸν τι κάλλος καὶ μέγεθος, et de ipso Cyro: ἐπεὶ δ' ἦλθεν οἰκαδε, ἔλεγον τοῦ Κύρου ὁ μὲν τὴν σοφίαν, ὁ δὲ τις καὶ τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος Cyrop. III, 1, 41. cf. ib. IV, 4, 3. — V, 1, 5. — VIII, 1, 40. 3, 14.

**) His egregie confirmatur stropharum in hoc carmine distributio, quam Hermannus proposuit in libello: de arte poët. bucol. p. 10. Quod vero oris venustati et corporis magnitudini singulas strophas, operibus autem duas tribuit Theocritus, id consulto ac de industria fecisse mihi videtur, ut etiam duplicato versuum numero indicaret, non una arte, sed pluribus insignem fuisse Helenam.

***) Praeter id, quod diximus, huic Eichstadii emendationi, quam recepit Abrens servato tamen ἀνέδραμε repugnat, quod ea tollitur et verborum et membrorum concinnitas; nam

jam, quae ad alteram spectant stropham, et revertamur ad rem, quae agitur versibus 26.—28.

Quibus versibus quum adumbrata totius loci effigie haec a nobis designata sit vis, ut Helenam cum Spartanis virginibus comparatam doceant pulchritudine omnibus esse praestantior, nostrum jam est, certa ejus sententiae vestigia in ipsis his versibus singulisque verbis indagare et persequi.

Qua in re ne versuum 26. et 27. indicium utamur, quoniam vetat suspecta eorum atque ab omnibus impugnata fides, unus superest, quem perscrutatum eamus, versus 28. ὧδε καὶ ἡ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνεται ἐν αὐτῇ, qui quemadmodum a nemine in dubium vocatur, ita reliquorum verborum totiusque strophae quasi lumen est putandus. Duo autem sunt in hoc versu, ad quae advertamus animum, pulchritudinis significatio et comparandi ratio.

Ac de illa quidem ut prius videamus, apparet et certissimam et clarissimam pulchritudinis notam Helenae adpictam esse a poeta adjectivo χρυσέα, cujus quae vis ac potestas apud poetas sit ad pulchritudinis laudem declarandam, quamque vulgaris ac paene tritus usus, adeo constat inter omnes, ut ex innumera exemplorum multitudine unam sufficiat afferre solemnem fere apud Homerum aureae Veneris denominationem.*) cf. Iliad. 9, 388.

οὐδ' εἰ χρυσεὶ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι.

Nec levior vero neque occultior pulchritudinis significatio inest in verbo διεφαίνεται, quod ut usum apud poetas similem, ita causam explicandi ac rationem habet eandem. Utrique enim communis est splendoris notio, quam adeo cum pulchro consociaverunt veteres poetae, ut, quidquid pulchritudinis nomine insignire vellent, φαίνειν, φαίνεσθαι (φαεινός, φαιδρός), λάμπειν (λαμπρός) dicerent, sidera autem, quorum lucendi ac splendendi est natura, ad summam pulchritudinis vim exprimendam adhiberent. De hac re infra dicendum erit; illius autem exempla in promptu sunt, ut difficile sit, quae afferam, ex tanta multitudine eligere. Apud Homerum enim (Iliad. 14, 170 seqq.) sicut Juno, quum se ornaret, ut venustatibus suis amorumque illecebris Jovem deliniret, ἀμβροσίῳ ἐλαίῳ — χρῶα καλὸν ἀλειψαμένη ἰδὲ χαίτας πῆξαμένη χειρὶ πλοκάμους ἐπλεξε φαεινοὺς, καλοὺς, ἀμβροσίους, et quum omnia bene composuisset, χάρις ἀπελάμπετο πολλή· ita Venus, quum in Anchisae amplexum iret, στήθεσιν ἀμφ' ἀπαλοῖσιν ἐλάμπετο,

καπάρισσος jam caret attributo suo, et tria efficiuntur comparisonis membra, quae duo tantum esse antecedens strophā convincit. Neque in verbis μέγα λῶν ἀνέδραμε aptam inesse dixeris imaginem, qua procera corporis figura exprimitur, neque verbum simplex ἐδραμε convenire cum πείρα μέγα λῶν.

*) Hanc observatam esse Theocrito in Idyll. 15, 101. χρυσὴ παῖδαίς Ἀφροδίτα recte monuit Fr. Jacobs. ap. Wuestem. ad h. l.

Latius patet hic vocis χρύσεος usus apud poetas. Homerus, quaecumque ad Deos pertinent, ut pote humanis rebus pulchriora, aurea, χρύσεια dixit. cf. Iliad. 8, 42. seqq. de Jovis equis: ἔπλω — χρυσεῇσιν ἐδετοῖσιν ζοῦντες· γένιο δ' ἰμάσθλην χρυσεῖην etc. Iliad. 14, 343. τοῖόν τοι ἐγὼ νέφος ἀμφικαλύψω χρύσειον, de nube, quam Jupiter sibi et Junoni circumdedit. — Apud Polystrat. Epigr. 1. (Anthol. gr. ed. Fr. Jacobs. Vol. II. pag. 1.) χάριτες ipsae, quibus insignis sit Antiochus puer, χρυσεῖα audiunt:

εἶδεῖε τὸν χρυσεῖαισι περισκεπτόν χαρίτεσσιν
Ἀντίοχον, λιπαρῶν ἄνθεμον ἠϊθέων.

ῥαῦμα ἰδέσθαι (Hymn. in Ven. 90.). Achilles quum armis indutus incedat *τεύχεσι παμφαίνων* (Iliad. 19, 398.), Hector ἀντίος ἦλθε — *φλογὶ εἴκελος* (Iliad 20, 423.). Helena Telemacho discedenti donat peplum ab ipsa elaboratum, ὃς κάλλιςτος ἦν ποικίλμασιν, ἅσπερ δ' ὧς ἀπέλαμπεν (Odys. 15, 107.), et Venus ornata est peplo, qui φαινότερος πυρὸς αὐγῆς dicitur (Hymn. in Ven. 86.). In Stratonis Epigr. 20. (Anthol. Vol. III. p. 73. ed. Fr. Jacobs.) Θεῶδις ἐλάμπετο παῖσιν ἐν ἄλλοις eodem sensu dicta sunt, quo Rhianus Epigr. 3. (Anth. I. p. 230.) puerum suum τόσσον φανερώτερον ἄλλων praedicat, ὅσσον καλὸν ῥόδον ἐν ἄλλοις ἀνθεσιν ἐλάμψεν. Nam de florum quoque et de veris pulchritudine eadem lucendi vocabula haud raro usurpantur et proprio et translato verborum usu.*) Nec Theocritum ab hac dicendi ratione abhorreere testatur Idyll. 20, 24. quo loco bubulcus de formositate sua gloriatur ita: καὶ γὰρ ἐμοὶ — ἐπ' ἀνθεσιν ἀδύ τι κάλλος — καὶ λευκὸν τὸ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι λάμπει μελαίναϊς. In quibus verbis etsi dicas λευκὸν propriam suam habere vim, tamen totus locus ita comparatus est, ut non possis non de pulchra simul fronte cogitare propter eandem candoris ac splendoris notionem, quae inest in albo. Cyclops enim Galateam, quam deperit, λευκὰν appellat (Theocr. Idyll. 11, 19.) eodem modo, quo Tibullus (Eleg. IV. 5, 2.) puerum suum dicit candidum; et sicut Homerus (Iliad. 24, 340.) una serie, quae se explicent invicem, collocat verba καλὰ πέλιδα, ἀμβρόσια, χρύσεια, ita apud Theocritum (Idyll. 23, 28. seqq.) plurium versuum initia se excipiunt haec: καὶ τὸ ῥόδον καλὸν ἐστὶ —, καὶ τὸ ἴον καλὸν ἐστὶ —, λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ etc.

Sed satis jam expositum videtur de pulchritudinis significatione, quam verbis suis addidit Theocritus in hac Helenae laudatione; quae ita convenit cum ea imagine, quam de Helenae formositate et ipse et alii poetae veteres conceptam animo habebant, ut, quum laudare vellet Arsinoën, Berenices filiam, nihil amplius posset praedicare, quam quod Helenae esset similis. cf. Idyll. 15, 110. ἃ Βερενικεία θυγάτηρ Ἑλένα εἰκνύα etc.

Hanc vero laudem Theocritus nostro loco ita instituit, ut non solum perpulchram esse Helenam diceret, sed etiam comparatam cum aliis puellis eam anteponeret omnibus. Ejus rei vestigium apertissimum inest primum quidem in eo ipso lucendi verbo (*φαίνεσθαι*), quo pulchritudinem significari demonstravimus. Cujus quum propria sit splendoris notio, apparet, quum splendere aliquam rem dicas, id dici non posse, nisi habeas alias res, quae aut minorem illa aut nullum spargant splendorem; unde efficitur, illam esse splendidiorē his i. e. praestantiorē. Itaque Homerus verbis βῆ Ἀχιλεὺς τεύχεσι παμφαίνων non hoc tantum voluit dicere, perpulchrum fuisse armorum ornatu Achillem, sed spectabilem, insignem pulchritudine inter reliquos Graecos i. e. pulchriorem omnibus. Hanc autem comparandi vim, quae jam in ipsa splendendi notione inest, fortius etiam expressam esse voluit Theocritus praepositione διὰ cum verbo φαίνεσθαι composita. Ejus enim in compositis haec est vis, ut significet, compluribus idem

*) cf. Artemon. Epigr. 1. (Anth. II. p. 66.) Ἐχέδημος — ὃ καλὸν ἀβροκόμης ἀνθὸς ἐλάμψεν Ἐρώς. Ariphron. Scol. 23. (Anth. I. p. 92.) μετὰ σείο, μάκαρ Ὑγίεια, τέθλη πάντα καὶ λάμπει Χαρίτων ἕαρι.

agentibus, aliquem peragere et agendo quasi pergere per reliquos ita, ut praetervertat eos et post se relinquat sive superet. *) Testes ejus rei ex multis adhibeo paucos. Pindarus enim Olymp. 1, 1. enumerans res, quae praestantissimae omnium sint, utitur his: ἀριστον μὲν ἴδωρ· ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μέγανος ἔξοχα πλούτου· εἰ δ' ἄεθλα γάρυεν ἔλδεαι, μηκέδ' ἄλιον σκόπει ἄλλο θαλνότερον ἐν ἀμέρᾳ φαινὸν ἄστρον ἐρήμας δι' αἰθέρος· μήδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέριτερον αἰδάσμεν· in quibus Superlativi vis, quae in verbis χρυσὸς διαπρέπει ἔξοχα πλούτου inest, et toto sententiarum nexu probatur (ἀριστον — διαπρέπει — οὐδὲν ἄλλο θαλνότερον — οὐδὲ φέριτερον), et disertis verbis a Scholiasta explicatur: διαπρέπει· παραβαλλόμενον πρὸς πάντα ἀποκρύπτει αὐτὰ καὶ εὐπρεπὲς αὐτὸ μόρον δοκεῖ ἐν αὐτοῖς εἶναι· deinde: αἰθόμενον πῦρ διαπρέπει νυκτὶ· ἐν νυκτὶ καίόμενον διαλάμπει, πρὸς τὰ ἄλλα δηλονότι παρατιθέμενον, ἃ λαμπρότατα ἔχει. Xenophon autem, in Cyrop. VII. 5, 38. narrans Cyrum primum populo liberam adeundi sui potestatem fecisse, habet haec: ἦγον ἀνίχανοι τὸ πλῆθος, καὶ ὠθουμένων περὶ τοῦ προσελθεῖν μηχανὴ πολλὴ καὶ μάχη ἦν· deinde pergit: ὁπότε δὲ τις καὶ τῶν φίλων διωσάμενος τὸν ὄχλον προσφανεῖ, προτείνων ὁ Κύρος τὴν χεῖρα προσήγετο αὐτοῦ· ubi διωθεῖσθαι est fortius urgere reliquis, urgentium turbam perrumpere, urgendo reliquos superare, ut primum locum quis occupet. His addo Hedyli Egigr. 7. (Anth. I. pag. 235.) ἡ διαπινομένη Καλλίστιον ἀνδράσι — θαῦμα, κόν ψευδὲς — νῆσις τοῖς χάας ἐξέπιεν· quorum verborum sententiam non prorsus assequutus esse mihi videtur Brunckius interpretatus: potu cum viris contendit, viros potando provocavit, quum potius dicere putem poetam, Callistium potando vicisse viros, validius potavisse viris, qualem descripsit Aelianus Var. Hist. II. 41. Κλειώ, φασὶν, εἰς αἰὺλλαν ἰοῦσα οὐ γυναιξὶ μόναις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀνδράσι τοῖς συμποταῖς, δεινотάτη πιεῖν ἦν καὶ ἐκράτει πάντων.

Theocritus igitur, dum Helenam dicit διαφαίνεσθαι, voluit eam omnibus, quae et ipsae splendent i. e. pulchrae sunt, exhibere splendidiorem i. e. omnium, quae cum Helena comparentur, pulcherrimam.

Neque dubitare sinit Theocritus, quasnam cum Helena comparari voluerit; addidit enim ἐν αἰνῇ, inter nos sc. Spartanas virgines, Helenae aequales (cf. vs. 22.), quae verba tantum abest, ut otiosa aut abundantia sint, ut cum vi dicta et ad explendam sententiam necessaria esse jam perspicias. Nam si demseris ea, deest id, a quo tota haec Helenae laudatio profecta est. De loquendi autem ratione, quae obtinet in διεφάνετο ἐν αἰνῇ, vix est, quod moneam; is enim praepositionis ἐν usus et cum verbo φαίνεσθαι optime convenit, et aliis locis multis confirmatur, e quibus unum tantum Theocriti adscribo Idyll. 25, 139 seqq. Φαέθων-πολλὸν ἐν ἄλλοις βουσὶν ἰὼν λάμπεσκεν, ubi ἐν ἄλλοις non minus ad λάμπεσκε, quam ad ἰὼν pertinent. Alia exempla vide pag. 14.

Jam ut eorum, quae de versu 28. adhuc disseruimus, summam conficiamus, demonstratum etiam singulorum verborum vi ac ratione putamus, quod antea

*) Hinc orta est etiam contentionis significatio, quae verbis cum διὰ compositis adhaeret; de qua vide, quos laudavit Fr. Jacobs in Anthol. VII. p. 334.

ad totius carminis descriptionem iudicavimus, voluisse Theocritum hoc vs. dicere, Helenam, si cum reliquis virginibus comparatur, pulchritudine superiore esse omnibus.

In qua sententia explicanda si cui videor longior aut copiosior fuisse, non mea id culpa factum est, sed eorum, qui tanta diversissimarum opinionum quasi mole hunc locum obruissent, quae removeri non potest nisi singulorum verborum vi ac natura accurate perpensis. Nemo enim non videt, nunc demum nos habere, quo duce possimus ad priorum versuum 26. — 27. emendationem fidenter ac prospere progredi, quum jam et sciamus, quae in illis sententiae vis et ratio esse debeat, et facile inde, quarum rerum similitudine potuerit ea illustrari ex veterum loquendi consuetudine, coniciamus.

Sententiam igitur versuum 26. — 27. si spectamus, ea debet ad vs. 28. ita comparata esse, ut designetur, quantopere Helena sit reliquis virginibus pulchrior, si rerum imagines ad hanc sententiam illustrandam adhibitas, non possunt non eae esse, quibus in comparando veteres pulchritudinis et praestantiae vices tribuerint.

Quum vero duplex sit pulchri vis ac natura, primum quidem ut splendeat oculosque splendore suo in se convertat et prae reliquis conspiciatur, deinde vero ut delectet oculisque blandiatur et animos deliniat, videmus hoc ita amplexos esse veteres poetas et in usum suum vertisse, ut duplex quoque inde comparationum argumentum haurirent, ea quidem ratione, ut, ubi vellent adhibita similium rerum comparatione eximiam quandam pulchritudinis speciem pingere, ex rerum universitate eligerent eas, quibus ad splendorem nihil clarius, ad delectationem suavius atque jucundius reperiri possit nihil, sidera dico in coelo fulgentia et flores verno tempore in terra nascentes. Videamus prius de sideribus. Praeivit, ut alia multa, ita hoc quoque Homerus, qui cum res qualescunque pulchras et praeclaras tum homines formosos et spectabiles solet cum stellis componere (Iliad. 6, 401. Ἐκτορίδην — ἀλίκιον ἀστέρι καλῷ), imprimis cum Sole et Luna (Odys. 24, 147. seqq. φᾶρος ἔδειξεν ἡελίῳ ἐναλίκιον ἢ σελήνῃ), cum Hespero (Iliad. 22, 317. Ἀχιλεὺς — οἷος δ' ἀστὴρ εἰσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῶ ἔσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἴσταιται ἀστὴρ) et Sirio (ibid. vs. 26. παμφαίνονθ' ὥστ' ἀστέρα — ὃς ἂν τ' ὀπώρας εἰσιν). Homerum sequuti sunt alii, Pindarus (Isthm. 4, 40. χρῶτα λάμπει Λωσφόρος θαυτὸς ὥς ἀστροῖς ἐν ἄλλοις), Theocritus (Idyll. 2, 79. στήθεα δὲ στίλβοντα πολὺ πλεόν ἢ τὴν Σελάναν et 25, 139. ὅν δ' αὖ βοτῆρες ἀστέρι πάντες εἴσκον, ὁθούνεκα πολλὸν ἐν ἄλλοις βουσίην ἰὼν λάμπεσκεν), maxime autem Epigrammatum auctores. cf. Meleagr. Epigr. 35. (Anth. I. pag. 13.)

Ἀβρόν, καὶ τὸν Ἐρωτα, τρέφει Τύρος· ἀλλὰ Μυῖσκος
ἔσβεσεν ἐκλάμπας ἀστέρας ἡέλιος.

Straton. Epigr. 20. (III. p. 73.)

Θεῦδις ἐλάμπετο παισὶν ἐν ἄλλοις,
οἷος ἐπαντέλλων ἀστράσιν ἡέλιος.

Platon. Epigr. 21. (I. p. 106.)

Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἑλαμπες ἐνὶ ζῳοῖσιν ἔῃος·
νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἔσπερος ἐν φθιμένοις.

Crimagor. Epigr. 38. (II. p. 129.)

κείνη γὰρ καὶ κάλλος εἶοῦ κοινώσατο φῶτος
Μῆνη etc.

cum quibus conferatur Musaei vs. 55. Ἡρὼ μαρμαρυγὴν χαρίεντος ἀποστράπτουσα προσώπου, οἷά τε λευκοπάροχος ἐπαντέλλουσα Σελήνῃ. Inde explicatur, et quomodo quis puellam suam alloqui possit: ἀστὴρ ἐμός cf. Platon. Epigr. 1., et cur Homerus audiat Μουσάων ἀστὴρ καὶ Χαρίτων (Alcaeï Epigr. 7. Anth. I. p. 238.) et λαμπρότατον Μουσῶν φέγγος (Leonid. Epigr. 49. Anth. I. p. 166.).

Sufficiant haec de sideribus, [quamvis magna exemplorum copia augere ea possim. De floribus autem quum quaeritur, notatu dignum est Homerum, quum sideribus ad pulchri vim exprimendam saepissime utatur, quantum equidem scio, prorsus abstinuisse a floribus. Nec mirum hoc cuiquam videbitur, qui meminerit eorum, quae dixi de vi ac ratione earum comparationum. Nam quum splendoris ac praestantiae in sideribus, in floribus autem oblectationis ac voluptatis praevaleat ratio, apparet in epico quidem poëseos genere, cujus est rerum et personarum dignitatem celebrare atque augere, siderum imagines suum habere locum, florum autem comparationes ad ea potissimum pertinere carmina, quibus animi sensus, imprimis amoris dulcia gaudia exprimantur, resque non ad magnitudinem describantur, sed ad oblectationem, qua perfundant animum. Illis igitur ad exornandam pulchritudinis speciem poëtae fere utuntur, ubi admirationem movere, his, ubi voluptatis edere significationem volunt; eademque ratio in verbis λάμπειν et θάλλειν, ἀνθεῖν obtinet. Legimus igitur apud Rhian. Epigr. 4. (Anth. I. p. 231.) de formoso puero: οὐρανὴ ἀμφιτέθλη χάρις et in Adespot. Epigr. 36. (IV. p. 125.): καὶ στέροισ ἀμφιτέθαλε χάρις.*) Meleager (Epigr. 92. I. p. 27.) scripsit:

Ἦδη δ' ἡ φιλέρατος, ἐν ἄνθεσιν ὥριμον ἄνθος,
Ζηροφίλα Πειθοῦς ἡδὺν τέθλη ῥόδον.

et Polystratus (Epigr. 1. II. p. 1.):

Ἴδετε τὸν χρυσέαισι περισκεπτὸν χαρίτεσσιν
Ἀντίοχον, λιπαρῶν ἄνθεμον ἡϊθέων.

Ob eandem causam poëtae et carmina eorum cum floribus comparantur; cf. Nossid. Epigr. 11. (I. p. 129.) τὴν Σαπφῶ Χαρίτων ἄνθος**) et Bacchylid. fragm. 9. (I. p. 83.) μελιγλώσσων ἀοιδῶν ἄνθεα. Quae pulchritudinis vis cum voluptate conjunctae in his locis tribuitur floribus, si augere eam volunt poëtae, Veris utuntur imagine, a quo quum venustate sua flores donentur, plenissimum venustatis et ipsum

*) Contra Homer. I. I. χάρις ἀπελάμπειτο πολλή· et στήθεσιν ἀμφ' ἀπαλοῖσιν ἐλάμπειτο. Quod si etiam Hedyll. Epigr. 2. (I. p. 233.) habet ὥς δ' ἐπιλάμπει ἡ χάρις, recte habet; nam gloriatur de pueri sui pulchritudine, quanta sit.

**) ἄνθος Χαρίτων ob carminum suavitatem Sappho, ἀστὴρ Χαρίτων et Μουσῶν φέγγος Homerus dicitur ob praestantiam et gloriam poematum.

fingi consentaneum est. Hac ratione dicta esse puta Alexandr. Epigr. 5. (I. p. 208.) *Ἀνδρὺς — πρωθήβης, ἕαρος θαλερώτερος* et Julian. Aegypt. Epigr. 51. (III. p. 306.) *Φεῦ, Χαρίτων ἐξαπόλωλεν ἕαρ* de puella eximiae pulchritudinis praematura morte exstincta. Ex eodem fonte fluxerunt haec: *μετὰ σείῳ, μάκαιρ' Ὑγίεια, τέθληε πάντα καὶ λάμπει Χαρίτων ἕαρ* (Ariphron. l. l.) et Meleagr. Epigr. 44. (I. pag. 15.)

*ἦν μοι συννεφὲς ὄμμα βάλης ποτὲ, χεῖμα δέδορκα·
ἦν δ' ἱλαρὸν βλέψης, ἦδ' ὅν τέθληεν ἕαρ.*

Neque a Theocrito hanc loquendi rationem esse alienam et bucolicae poëseos natura atque indole intelligitur et exemplis potest demonstrari compluribus. Idyll. 20, 21. *καὶ γὰρ ἐμοὶ τὸ πάροιθεν ἐπάνθειεν ἄδύ τι κάλλος.* Idyll. 8, 41. *παντὰ ἕαρ, — ἐνθ' ἃ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται.* Idyll. 13, 45. *Νύμφαι — Εὐνεία καὶ Μαλὶς ἕαρ θ' ὁρώσασα Νυχτεία*, ver oculis suis referens i. e. veri similis; cum quibus praeter Horatii Od. IV. 5, 6. (Instar veris enim vultus tuus affulsit etc. *λάμπει ἕαρ*) conferri potest pueri formosi descriptio in Philostr. Epist. 59. *τὸ δὲ ὄλον πρόσωπον ἄνθεϊ* etc. (Vide Jacobs. adnott. in Anthol. X. p. 68.)

Sed quid plura? Satis enim ad omnem de hac re dubitationem tollendam superque demonstravisse mihi videor veteres poëtas, quum vellent similitum rerum comparatione eximiam pulchri speciem effingere, usos esse aut siderum splendore aut florum verisque venustatē. Quae si recte demonstrata sunt, parata jam omnia atque ita instructa videntur, ut possimus tandem nostram de illo Theocriti loco proferre sententiam. Quam ut paucis complectamur, si unum exceperis verbum, in quo sicut causa errandi apertissima, ita corrigendi ratio est facillima, reliqua omnia nobis videntur sana in his duobus versibus 26.—27. et ita comparata, ut neque demi neque addi neque mutari omnino sine detrimento possit nihil. Insunt enim comparationes, quas ad plenam pulchritudinis effigiem exprimendam antea vidimus et aptas esse et veteribus poëtis ipsique Theocrito usitatas; inest praestantiae significatio, qua indicatur, quanto Helena virginibus excellat pulchritudine; inest denique loquendi ratio, quae etsi exquisitior sit, tamen nihil habet, quod graecae linguae praeceptis adversetur nec possit aliorum locorum analogia defendi.

Haec quum jam singula sint persequenda, primum quidem, quemadmodum in altero hemistichio veris nomen ipsum positum est addita pulchritudinis nota *λευκὸν ἕαρ*, ita in priore siderum haud obscure fecit mentionem Theocritus, non singulo quidem vocabulo aliquo, quod sidera denotet, sed pluribus verbis ita comparatis et inter se junctis, ut luculentissime monstrent siderum imaginem obversatam esse poëtae. Quae quia praesagio fore, ut aut obscuriora aut insolentiora videntur nonnullis, paulo altius res repetenda est et accuratius, quid dicam, explicandum. Conjungo equidem: *πότνια Νύξ διέφαινε καλὸν πρόσωπον*, tribuoque transitivam, quam dicunt, verbo *διαφαίνειν* significationem, ut sit: die Nacht läßt ihr schönen Antlitz leuchten s. strahlen; quo facto habeo omnia, eaque facillima ratione, quae meam sententiam confirmet. Quis enim, quaeso, est sana mente praeditus neque vana quadam opinionis specie occaecatus, quin, quum haec audiat vel legat, de sideribus cogitet per noctem fulgentibus? Aut quis est tam pertinax,

quin haec, etiamsi a nullo alio veterum poëta unquam dicta sint, et apte et pulchre dici fateatur? At probe scio errorem talem, qualem in hunc locum Aurora induxit, tam diu inveteratum altius insidere animis, quam ut tam cito tamque facili negotio eximi possit atque exstirpari. Itaque insistendum est acrius. Constat rerum notitias exhiberi posse et ipsis rerum nominibus et attributis vim ac naturam earum declarantibus, id quod poëtarum imprimis est. Veluti quum dicat aliquis „arva virent“ vel „flumina rigent“ vel „solvitur hiems“, nemo non intelligit *segetem, hiemem, ver* designari. Aut si qui nostratium poëta scripserit „die Nacht erglänzt“, num nescire te simulabis *siderum* his fieri mentionem, aut fieri sic posse negabis? Quod utrum dixerit veterum aliquis *νύξ ἀναλάμπει*, nec ne, nescio; persuasissimum autem est mihi non minus recte dici posse, quam *χθὼν ἀνθεῖ* apud Pindarum et *πᾶσα ἡ στρατιὰ ἡστραπτεν* apud Xenophontem*) pro eo, quod proprie dicendum erat: *ὁ χαλκὸς* (sc. *τῶν θωράκων*) *ἡστραπτεν ἀπὸ τῆς στρατιᾶς* et *τὰ ῥόδα ἀνθεῖ ἐπὶ τῆς χθονός*. Solent enim poëtarum more per attributorum quandam permutationem vires ac virtutes rerum tribui aliis rebus, cum quibus illae aut consuetudine aut natura ac necessitate conjunctae sunt; unde multam poëtae et variam vivide pingendi et suaviter describendi materiam sibi paravisse scimus, ut *ἡδὺ τέθνηκεν ἔαρ* apud Meleagrum, et quae sunt ejus generis alia. Eodem referendum est ex eodemque fonte derivandum, quod ea, quae certo quodam tempore suis causis fiunt, ita exhiberi solent a poëtis, ut tempus ipsum efficere ea et gignere dicatur. Qui locus quum latissime pateat in poëtarum operibus legendis et explicandis, arctissimis tamen hic circumscribendus est finibus; quare satis habeo tribus eum illustrare exemplis, quae ad nostram rem propius accedere videntur. Apud Sophoclem igitur, Trachin. 94. *ὃν αἰόλα νύξ ἐναριζομένα τίκτει κατεννάζει τε, φλογιζόμενον Ἄλιον, Ἄλιον αὐτῷ* etc. nox dicitur gignere et sopire Solem, quod discedente nocte Sol oritur, adveniente occidit. Similiter Meleager Epigr. 26. (I. pag. 11.) *ἀλλ' ἄς μὲν* (pro *τὰς μὲν* sc. *τὰς παρὰ τοῦ ἡλίου ἀκτῖνας*) *νύξ αὖθις ἐκοίμισεν***) etc. quia nocte surgente solis radii urere hominem desinunt. His denique addo Theocr. Idyll. 25, 85. quo loco vespertinum diei tempus, quod sole occidente incipit, ab ipso sole adduci fingitur hoc modo: *Ἡέλιος μὲν ἔπειτα ποτὶ ζόφον ἔτραπεν ἱπποὺς δέειλον ἡμᾶρ ἄγων*. Quae exempla quid ad nostrum locum faciant, non potest esse obscurum. Nam quae in vulgari sermone sic se haberent: *οἱ ἀστέρες φαίνουσι* s. *λάμπουσι νυκτὸς ἀνατελλούσης*, quum constet verba *φαίνειν*

*) cf. Pindar. Isthm. 4, 29. Xenoph. Anab. I. 8, 8.

**) Ad eandem rationem initium hujus Epigrammatis, quod multas viris doctis creavit difficultates (vid. Jacobs. Anthol. VI. pag. 46.), facillime explicari posse videtur ita, ut verba *καρπὸν κειρομένην θέρεος, aestate frugem* i. e. *segetes metente*, designent *aestatis tempus*, quo demetuntur *segetes*, quod calidissimum esse constat. Tribuitur enim aestati, quod fieri aestate solet; sicut in Anthol. III. p. 219. incerti auctoris haec de Februario mense leguntur:

*αὐτὰρ ἐγὼ θάμνησι γῆν νηράδεσσι διατρω
τεύχων εἰαρινῆς ἔγκνον ἀγλαΐης.*

et λάμπειν non solum intransitiva, sed etiam transitiva significatione usurpari,*) apparet ea licere poëtica ita proferri, ut nox exhibeatur auctor eorum, quae nocte fiunt, dicaturque Νύξ ἀνατέλλουσα φαίνει τοὺς ἀστέρας, Nox surgens incendit sidera, i. e. facit, ut sidera splendeant; cf. Horat. Sermon. I. 5, 9. Nox — coelo diffundere signa parabat.

Jam vero non vereor, ne quis serio mihi opponat haec omnia, etsi recte se habeant, non cadere in nostrum locum, quippe cui desit id, quod summum est, vocabulum ἀστέρας. Nam quum adsit Νύξ, cujus liberi**) et comites***) stellae a poëtis perhibentur, quumque hanc orsus esset enuntiationem Theocritus: ἀνατέλλουσα Νύξ διέφαινε, satis jam mentem suam declaravit et siderum notionem tam manifestam edidit, ut, qui illa legisset, non posset nisi de sideribus cogitare inque eo, quod additur, καλὸν πρόσωπον sidera cognoscere nocte fulgentia. Poterat sane, si perspicuitati soli vellet prospicere, addere τοὺς ἀστέρας sive τὰ ἀστρα sive aliud quoddam stellarum vocabulum, et addidisset sine dubio alio loco; hoc vero malebat καλὸν πρόσωπον, pulchrum os suum, et habebat, cur id praeferret, quum vellet siderum comparatione exprimere eam Helenae pulchritudinem, quae oris et faciei nitore cernitur.

At vero, inquit, veterum poëtarum nullus unquam neque Nocti πρόσωπον tribuit neque sidera dixit καλὸν πρόσωπον Noctis! Recte quidem, concedo; neque ignoro, quantam in veterum scriptis similitudinem locorum comparatio habeat vim ad loca alia vel illustranda vel confirmanda vel restituenda. Neque vero tantum exemplorum auctoritati tribuendum esse censeo, ut, quae recte dicta sint idoneamque in se ipsis habeant causam, sperni et improbari debeant, nisi pari aut simili ratione ab alio jam scriptore prolata fuerint. Quae lex ac norma si praescriberetur poëtis, omnis profecto poësis esset exstincta. Non igitur id nostro loco quaeritur, primusne et suo ingenio ad hanc imaginem delatus sit Theocritus, an ab alio eam desumerit, sed utrum recte finxerit et clare descripserit, nec ne. Cujus quaestionis quum alteram partem absolvisse supra jam nobis videamur, restat altera, ut paucis doceamus, recte fictam esse hanc imaginem, qua sidera dicantur Noctis os pulchrum, καλὸν πρόσωπον. Omitterem haec, quae documento egere non videantur; sed movet me Eichstadius†), qui Pagninum et Ahlwardtum increpans „Quis unquam, inquit, sana mente praeditus Nocti καλὸν πρόσωπον tribuit?“ Mireris profecto a tali viro, tam exculti ingenii tantaque eruditionis copia instructo, potuisse proficisci haec verba, quae referre videntur hominem, qui ne semel quidem serena nocte coelum stellis distinctum adspexerit neque primis labris gustaverit veterum poëtarum opera. Qui quum coelestibus ac terrestribus rebus fere omnibus personae

*) cf. Theocr. 20, 24. λευκὸν τὸ μέτωπον ἔλαμπε et Artemon. Epigr. I. Ἐως ἔλαμψεν ἄνθος καλὸν Ἀντιόχῳ. — Theocr. 2, 10. Σελάνα, φαίνει καλὸν et Homer. Iliad. 9, 236. Ζεὺς ἐνδύξια σήματα φαίνων ἀστράπτει.

**) Orph. Hymn. 7. Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης.

***) Theocr. 2, 165. ἀστέρες, εὐκῆλοιο καὶ ἄντυγα Νυκτὸς διαδοί. Tibull. II. 1, 87. Nox jungit equos, currumque sequuntur matris lascivo sidera fulva choro.

†) Quaestt. phil. p. 18.

vim ac naturam tribuerent, necesse erat eas etiam singulis humani corporis partibus donari et humanae naturae convenienter exornari, quod nescientibus vel unus de Sole locus declararet Hymn. in Sol. 11. seqq.

— — — — παρὰ χρότάφων τε παρειαί
λαμπραὶ ἀπὸ κρατὸς χαρίεν κατέχονσι πρόσωπον
τηλανγές· καλὸν δὲ περὶ χροῦ λάμπεται ἔσθρος etc.

De Nocte autem si quaeritur, quam Deam a Theocrito exhiberi manifestum est etiam epitheto *πόνια**), quum tribuatur ei non solum *πέπλος***), sed etiam *ῥιμματα****) et *βλέφαρον*†) et caput,††) quidni detur ei *πρόσωπον* ipsum, quod nisi haberet, absurdum esset adfingere ei *ῥιμματα*! Et quae tandem causa excogitari potest, cur Aurorae, neque Eichstadio neque alio quoquam repugnante, *καλὸν πρόσωπον* adsignari possit, Nocti non possit? Neque repugno equidem, si coelum aëris modo albescentis modo flavescentis et rubescentis splendore refulgens Aurorae os pulchrum poëtice dicatur, modo dent mihi coelum nocturnum innumeris stellis exsplendescens non minus recte a poëtis exhiberi posse Noctis *καλὸν πρόσωπον* neque quidquam obstare, quominus Theocriti verba *Νύξ δέφαινε καλὸν πρόσωπον*, die Nacht läßt ihr schönes (Sternen-) Antlig leuchten, exquisitius quidem, sed recte dicta esse statuamus pro οἱ ἀστέρες (τὸ καλὸν τῆς Νυκτὸς πρόσωπον) *διεφαίνοντο νυκτὶ* s. *νυκτός*, praesertim quum stellae etiam ab aliis oculis Noctis vel Coeli†††) dici videamus. Quae si dederint — et dari necesse est, ne suo se ipsi gladio jugulare videantur — habeo, quod volo, adumbratam hoc Theocriti loco pulchritudinis imaginem adhibita siderum et veris similitudine. Vix enim opus est uno verbo indicare, quod sponte intelligitur, alterum hemistichium, *λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος*, non posse ullo modo neque cum nocte et sideribus conjungi neque ad nuptiarum tempus referri, quod nonnullis placuit, sed continere novam integramque comparisonem, ad quam explendam sive ex sequentibus *διεφαίνεται* sive, quod ego malim, ex antecedentibus *δέφαινε καλὸν πρόσωπον* addas, nihil fere interest. Non enim jam verendum est, ne quis etiam Veri tribuere dubitet *καλὸν πρόσωπον*, non illud quidem luminibus splendidum, sed floribus distinctum atque omni veris venustate, quae ut magis eluceat et plenius sentiatur, efficit hiemis praecedentis, jam vero solutae recor-

*) *πόνια* *Νύξ* habet etiam Meleager Epigr. 102. (I. p. 30.) — *μάκαιρα θεά* Orph. Hymn. 3. *Νύξ ἄμβροτος* Hom. Odys. 11, 330. all.

**) Orph. Hymn. 7, 10.

***) Orph. Hymn. 34, 13.

†) Eurip. Phoen. 543. *Νυκτὸς βλέφαρον* dicitur Luna, ut Sol *ἡμέρας βλέφαρον* Soph. Antig. 103.

††) Ovid. Metam. 15, 31. Et caput extulerat densissima sidereum Nox.

†††) cf. Platon. Epigr. 1. (I. pag. 102.) Dignum est lepidissimum Epigr., quod integrum exscribam:

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς, ἀστὴρ ἐμός· εἶθε γενοίμην
Οὐρανός, ὡς πολλοῖς ὀμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

Catull. carm. nupt. 1. Vesper adest, juvenes, consurgite! Vesper Olympo
Exspectata diu vix tandem lumina tollit.

datio.*) Quam ob rem addita sunt oppositi vi verba χειμῶνος ἀνέντος i. e. *postquam hiems cessavit, soluta est.***) Siderum autem atque veris imagines, quibus alii singulis utuntur, ne puta hoc loco conjunctas esse casu aut poetica quadam ubertate, sed ratione et consilio, ut plena sit et integra pulchritudinis effigies non splendore tantum elucentis, sed etiam delectantis suavitate.

His ita defuncto mihi, in quibus quia meae sententiae quasi cardo versatur, longior esse debebam, licet properare ad finem. Nam de praestantiae significatione, quam, ut justa sit et integra comparatio, versu 28. requiri docuimus, sufficit in mentem revocare, quae de vi ac potestate praepositionis διὰ in verbo διεφάνετο supra exposita sunt. Ex quibus intelligitur, quam bene Theocritus et quanta cum vi dixerit διεφάνε, quum non simpliciter velit comparare Helenam cum stellis, sed geminatam exhibere comparisonem, qua Helenam significet tanto omnibus virginibus esse pulchriorem, quanto sidera omnibus aliis rebus sint splendidiora. Longe igitur aberrare a vero apparet Eichstadium***) et alios multos, qui simplicis verbi haud minorem esse, quam compositi, vim opinantes διεφάνε cum Eldickio in ἐφάνε mutaverint, nulla alia de causa, ut mihi quidem videtur, nisi ut abjecta hac syllaba invenirent, ubi insererent particulam ἄτε, quam recte vidissent in priore comparisonem non minus necessariam esse, quam in altera ἄτε λευκὸν ἕαρ etc. Nam quominus ἄτε post νύξ collocatum ad priorem enuntiationem retorqueatur, et loquendi usus obstat, et quod hac ratione duae imagines, quae nullam inter se societatem habent, a nocte et sideribus altera, altera a vere petita, in unam commiscentur, in qua ver hieme soluta splendens si non ineptum, at certe otiosum et frigidum est. Nobis autem multo facilius datur et fere ultro se offert, unde particulam illam nullo negotio acquiramus. Restat enim Aurora, Ἀώς, sola ac deserta jam neque ulla reliquorum societate sustentata; quam partim injuria et retentum diu imperium tandem aliquando deponere et exutam regia dignitate ad humilem, quo orta est, locum descendere aequum est. Nam quemadmodum Ἀώς, unde omnem loci difficultatem profectam demonstravimus, natum est duabus vocibus levissima librarii cujusdam in scribendo sive culpa sive errore in unam contractis, ita facillime neque ulla ne unius quidem litterae mutatione his versibus vera ac genuina forma restituitur, si, quae male

*) cf. Meleagr. Epigr. 110. (I. pag. 32.)

Χείματος ἡγεμόντος ἀπ' αἰθέρος οἰχομένοιο
πορφύρεη μείδησε φρεσινθεός εἶαρος ὥρη.
γαῖα δὲ κτανέη χλοερὴν ἐσιέναιτο πόλιν,
καὶ φρυγὰ θηλήσαντα νέοις ἐκόμησε πειήλοισι.
οἱ δ' ἀπαλὴν πίνοντες ἀεζιγύτου δρόσον Ἡοῦς
λειμῶνες γελῶσιν ἀνοιγομένοιο ῥόδοιο etc.

Theocr. 12, 3. ὄσσον ἕαρ χειμῶνος — ἥδιον etc.

**) Intransitivam verbi ἀνέναι significationem, de qua hodie nemo dubitat, multis exemplis illustravit Eichst. Quaestt. p. 26. seq.

***) cf. Quaestt. p. 20.

conjuncta sunt, solvantur et, quae coaluerunt, separatae exhibentur particulae *A* et *ΩΣ*. Legendum igitur est:

— — — ἐπεὶ χ' Ἑλένα παρισώθη·
 ἃ, ὡς ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
 πότνια Νύξ, ἅτε λευκὸν ἔα χειμῶνος ἀνέντος,
 ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφάνετο ἐν αἰνῇ.*)

Qua emendatione ut nulla inveniri potest facilior, ita nulla est, quae omni ex parte se magis commendet. Nam primum quidem ab ea lectione, quam ad unum fere omnes et optimi Codices exhibent, si litterarum, quibus scripti illi sunt, formam spectas, ne una quidem linea recedit. Itaque fieri hac ratione potuit, ut vitium duarum vocum illicito quasi connubio procreatum illitteratos plerumque librarios fugeret, qui quamvis accurate ac diligenter, nec tamen cum iudicio ac ratione opus facere solebant. Si qui vero graecae linguae rudimenta cognovissent, non mirum est neque hos in voce *ΑΩΣ*, utpote graeca et satis nota, et quae cum ἀντέλλουσα et διέφαινε bene convenire videretur, offendisse, sed de totius loci sententia et impedita verborum structura haud sollicitos reliqua ad litteras accurate depinxisse. Quod nisi statuas, vix dices, cur neque in αὐτῇ neque in sequentibus πότνια νύξ ulla alicujus momenti discrepantia scripturae in Codicibus exstiterit, si quidem recte omnes inspecti et exscripti sunt. In quo negotio vereor, ne viri docti mentibus ab Aurora praeoccupatis minus ad *ΑΩΣ*, quod pro certo haberent, quam ad *ΝΥΞ* attenti festinantius illud legerint et, quum litterae constarent, non animadverterint, parvone vel minimo spatio sejuncta sint *A* et *ΩΣ*, an uno tenore scripta; neque dubito, quin, si hoc consilio diligentius litterae fuerint denuo consideratae, etiam Codex unus et alter comprobaturus sit meam emendationem. Quae alteram commendationem etiam ab eo habet, quod hac una ratione explicatur, unde factum sit, ut tot tantorum virorum labor et studium in hoc loco expurgando irrita essent; sana enim sanare quum studerent, quidquid proferrent ad vocem νύξ suo loco pellendam, si vel una littera a Codicum lectione recederet, cum ipso Theocrito discrepare et a vera loci sententia aberrare eos necesse erat. Hanc vero tertiam eamque maximam nostrae emendationi vindicamus laudem, quod servata membrorum aequalitate, ut imagines restituit vere poeticas veteribusque ad pulchritudinis speciem pingendam usitatas, ita loci sententiam exhibet eam, quae et cum totius carminis argumento egregie congruat, et ad versum 28. accurate descripta sit. Ea autem ita se habet:

„Felix tu, o Menelae, es praedicandus, cui contigerit uxorem
 „ducere, qualis in Achaeorum terra invenitur alia nulla. Nos
 „enim omnes, Helenae aequales, quae simul cum illa ad Eurotae
 „lavacra cursu exercebamur, sexaginta numero virgines, non su-

*) Non est, quod doceam, quantum haec mea locum restituendi ratio differat ab Huschkii et Lachmanni emendationibus, nec vereor, ne quis diligenter iis inter se collatis incuset me, quod aliorum scrinia expilaverim aut cantilenam cantaverim.

„mus non vitiosae, quando comparatur cum Helena, quae ita
 „inter nos elucebat (pulchritudine), ut surgente
 „nocte elucent sidera, ut hieme soluta ver praenitet,
 „vel: quae tanto nobis omnibus praestabat pulchritu-
 „dine, quanto sidera superant omnia splendore,
 „quanto ver vincit omnia jucunditate, vel: nam ut si-
 „dera — elucent, ut ver — praenitet, ita Helena —
 „elucebat.“ *)

Quam comparisonem sententiarumque seriem si hoc modo enuntiavisset Theocritus, quum non dubitem, quin ea nemini non videretur omnibus partibus recta et pulchra esse, unum jam superest, ut doceamus eandem, sed poetarum more exornatam, inesse in Theocriti verbis ad nostram rationem exhibitis; id quod brevibus fiet et nullo labore. Nam si recte demonstravimus *Νυκτὸς καλὸν πρόσωπον* esse sidera nocte fulgentia et *Νὺξ διαφαίνει καλὸν πρόσωπον* dici poetice ita, ut Nocti tribuantur auctori, quae nocte fiunt, in verbo autem *διαφαίνειν* inesse praestantiae significationem, sententia verborum *ἀντέλλουσα Νὺξ διαφαίνει καλὸν πρόσωπον* efficitur eadem, ac si poetico ornatu exuto dicas: *ἀνατελλούσης νυκτὸς οἱ ἀστέρες διαφαίνονται* vel *οἱ ἀστέρες διαφαίνονται νυκτὸς s. νυκτί*. Quae ut eundem, quem Pindari *πῦρ καίμενον διαπρέπει νυκτί*, produnt colorem, ita Scholiastae verba accommodare ad ea licet hoc modo: *οἱ ἀστέρες (τὸ καλὸν τῆς νυκτὸς πρόσωπον) διαφαίνονται, πρὸς τὰ ἄλλα δηλονότι παραβαλλόμενοι, ἃ φαινώτατα, λαμπρότατα ἐστὶ, διαλάμπουσι* i. e. *λαμπρότεροί εἰσιν αὐτῶν καὶ ἀποκρύπτουσιν αὐτὰ καὶ μόνοι φαινοί, λαμπροὶ δοκοῦσιν ἐν αὐτοῖς εἶναι*. Haec igitur Theocritus dixit: Surgentis venerandae Noctis os pulchrum lucet s. splendet per omnia, splendidissimum est omnium, sive, quod volumus docere, sidera nocte fulgentia superant omnia splendore. Ad eandem autem rationem quum efficta sint *λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος καλὸν διέφαινε πρόσωπον*, adhibita eadem interpretatione, quoniam in Veris imagine non splendoris, sed suavitatis et jucunditatis praevalet significatio, prodeunt haec: Veris nitidi os pulchrum hieme soluta est jucundissimum, venustissimum omnium, sive: ver nitidum vincit omnia jucunditate, venustate. Quibus apte respondent *ἡ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετο ἐν αὐτῇ* vs. 28. He-

*) Hanc loci imaginem ne cui videar ex Ahlwardti emendatione (v. pag. 7.) arreptam pro mea venditare, haec ipsa ejus verba adscribo: „Die Vergleichung der Helene mit einer reizenden, schönen Nacht und mit dem erwachenden Frühlinge jener milderen Gegenden ist ästhetisch richtig und schön. — Daß der Dichter von einer schönen mond hellen Nacht sagt: *καλὸν διέφαινε πρόσωπον*, wird man hoffentlich nicht zu kühn finden.“ Ex quibus quisque intelliget Ahlwardtum, etsi tribuat Nocti *καλὸν πρόσωπον* dicatque Noctem *διαφαίνειν καλὸν πρόσωπον*, tamen, quum velit Helenam cum Nocte et Vere comparari, a vera loci sententia aberravisse et neque comparisonis rationem neque verbi *διαφαίνειν* vim perspexisse.

lena aurea elucebat inter nos i. e. nos o'mnes superabat pulchritudine s. omnium erat pulcherrima. Itaque integrae comparationis per tres versus digestae et poetice luminibus distinctae simplicissimam jam hanc vides esse speciem, quam diximus: Ut sidera omnium rerum sunt splendidissima, ut ver omnium est jucundissimum, ita Helena omnium virginum erat pulcherrima. Qua comparatione, sive sententias sive rerum imagines spectes, haud scio, an nulla neque pulchrior neque accommodatior huic loco inveniri a Theocrito potuerit.

Neque comparandi ratio et forma habet, in quo quis jure offendat. Nam quod in protasi, quae dicitur, vs. 26. activa verbi forma *διεφαίνε*, in apodosi autem media *διεφαίνετο* exstat, quo fit, ut, quum in hac subjectum sit comparationis *Ἑλένα χρυσέα*, respondens ei *καλὸν πρόσωπον* (sidera) in illa objecti locum obtineat, ejus rei sexcenta Homerus suppeditat exempla, e quibus duo afferre satis habeo haec: Odyss. 20, 25 seqq. *ὥς δ' ὅτε γαστέρ' ἀνὴρ πολέος πυρὸς αἰθομένοιο ἐμπλείην κνίσσης τε καὶ αἵματος ἐνθα καὶ ἐνθα αἰόλλη* — *ὥς ἄρ' ὅγ' ἐνθα καὶ ἐνθα ἐλίσσετο μεμηρίων* etc. Iliad. 2, 480. seqq. *ἦντε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων ταῦρος — τοῖον ἄρ' Ἀτρεΐδην θῆκε Ζεὺς ἡματι κείνῳ εὐπρεπέ' ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἠρώεσσιν*. His locis satis, opinor, confirmantur Theocriti *ὥς πότνια Νύξ διέφαινε καλὸν πρόσωπον* — *ὣδε ἂ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνεται ἐν ἁμῖν*.

Gravius fortasse nonnullis et insolentius videbitur, quod, quum versus 26. incipiat a pronomine *ἃ* i. e. *Ἑλένα*, desinit oratio vs. 28. repetito subjecto *ἃ χρυσέα Ἑλένα*. Quae loquendi ratio*) et aliis veterum locis comprobatur et hoc nostro loco non solum excusationem suam, sed fere necessitatem habet. Nam quum totius strophae vis et robur insit in vs. 28. *ἃ Ἑλένα διεφαίνετο ἐν ἁμῖν*, haec autem arctissime cohaereant cum verbis *τῶν οὐδ' ἂν τις ἄμωμος, ἐπεὶ χ' Ἑλένα παρισωθῇ*, poterat Theocritus, ut hanc sententiarum cohaerentiam et nexum significaret, duplicem inire rationem, ut diceret aut *ἃ διεφαίνετο* aut *ἃ γὰρ Ἑλένα διεφαίνετο ἐν ἁμῖν*. Jam quum exorsus esset per relativum *ἃ*, utpote finiturus enuntiatum *διεφαίνετο ἐν ἁμῖν*, interjectis duobus versibus membrisque comparationis, ne sententiae vis imminueretur, et ut perspicuitati simul atque orationis concinnitati consuleret, subjectum iteravit ipsumque Helenae nomen praedicato addidit idque auctum epitheto *χρυσέα* propter praecedentia *πότνια Νύξ, καλὸν πρόσωπον, λευκὸν ἔαρ*. Quo facto relinquatur relativo *ἃ* ea nectendi vis, quae alias particula *γάρ* exprimitur. Solent autem haud ita raro non poetae solum, sed etiam pedestris orationis scriptores, si non concinnitatis causa, tamen ob perspicuitatem pronomini-

*) Non dubitaverunt viri doctissimi Fr. Jacobs et Lachmannus eam proferre, ille, quum de Huschkii referret emendatione, hic, quum suam ederet, quam probavit Meinekius. Vide supra pag. 5. et 7.

bus et relativis et demonstrativis imprimis, a quibus oratio orsa est, post plura verba interposita addere nomen ipsum, cujus locum jam obtinet praecedens pronomen, velut Homer. Iliad. 15, 381. seqq.

οἱ δ' (sc. Τρῶες, quod praecessit vs. 379.), ὥστε μέγα κύμα
θαλάσσης ἐρυνόροιο
νῆος ὑπὲρ τοίχων καταβήσεται, ὅππότε ἐπείγῃ
ἴς ἀνέμον· ἥ γάρ τε μάλιστα γε κύματ' ὀφέλλει.
ὥς Τρῶες μεγάλη ἰαχῇ κατὰ τεῖχος ἔβαινον etc.

Eadem perspicuitatis causa nomen ipsum, quod in initio positum fuit, post plura verba interjecta in eodem enuntiato repetitur. Iliad. 10, 488. seqq.

— — — — ἀτὰρ πολύμητις Ὀδυσσεύς,
ὄντινα Τυδείδης ἄορι πλήξειε παραστιάς,
τὸν δ' Ὀδυσσεὺς μετόπισθε λαβὼν ποδὸς ἐξερούσασκεν.

Neque Xenophon a talibus abstinuit. Cyrop. I. 4, 19. Ἀλλ' οὐχ ὄρῳ, ὃ παῖ, ὅσον τὸ στίφος τῶν ἰππέων ἔσθηκε συντεταγμένον; οἶ, ἦν ἐπ' ἐκείνους ἡμεῖς ἐλαύνωμεν, ὑποτεμοῦνται ἡμᾶς πάλιν ἐκεῖνοι etc. et ib. VIII. 5, 13. οἱ δ' ὑπηρέται, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς πόλεσιν οἱ σώφρονες ἴσασι τῶν πλείστων τὰς οἰκίσεις, οὕτω καὶ ἐν τοῖς στρατοπέδοις τὰς χώρας τῶν ἡγεμόνων ἡπίσταντο οἱ Κύρου ὑπηρέται.

Non magis verendum est, ne quis reprehendat verbum ἀνατέλλειν cum νύξ conjunctum hac ratione: νύξ ἀνατέλλουσα καλὸν πρόσωπον διέφαινε, praesertim quum de sideribus haec verba scripsisse poetam viderimus, sidera autem proprie dicantur ἀνατέλλειν. cf. Theocr. 13, 25. all. Et quum nemo dubitaverit ἀνατέλλουσα cum Ἀὼς conjungere, non video, quo nomine possit impugnari Νύξ ἀνατέλλουσα. Nocti enim non minus, quam Aurorae et Soli et Lunae a poetis tribui solent currus et equi, quibus per coelum vehantur,*) et assurgere Noctem simili ratione dixit Valerius Flaccus V. 567. Assurgens Nox aurea cingitur astris.

Neque silentio praetereundum est eos, qui pro eo, quod nos servavimus, διαφαίνειν ἐν ἁμῖν in vs. 28. ex Scholiastae interpretatione διαλάμπει dederunt διαφαίνειν ἐν ἁμῖν. Quod qui fecerunt, non considerasse videntur verba ἐν ἁμῖν, quae repugnant eorum sententiae nec possunt nisi cum imperfecto διαφαίνεται conciliari. Non enim jam in puellarum sodalitate Helena versatur, ex quo Menelaus eam in thalamum abduxit. cf. vs. 12. seqq.

εὔδειν μὰν χορῆζοντα καθ' ὥραν αὐτὸν ἐχοῖν τυ,
παῖδα δ' ἑᾶν σὺν παισὶ φιλοστόργῳ παρὰ μητρὶ
παίσδειν etc.

*) vid. Eichstad. Quaestt. pag. 15. seqq.

et vs. 38. seqq.

ὦ καλὰ, ὦ χαρίεσσα κόρα, τὸ μὲν οἰκέτις ἤδη,
ἄμμες δ' ἐς δρόμον ἤρι καὶ ἐς λειμώνια φύλλα
ἐρποῦμεν στεφάνως δρεψέμενοι ἄδῃ πνέοντας,
πολλὰ τεοῦς, Ἑλένα, μεμναμέναι etc.

Illud igitur tempus respicientes, quo cum Helena ludere sibi licebat, non potuerunt virgines dicere nisi *διεφαίνεται* ἐν ἁμῖν. Diversa ab his ratio obtinet in *διέφαινε* vs. 26. In talibus enim comparationibus etsi scio etiam aoristum usurpari, tamen, quoniam non minus frequens est imperfectum, malui etiam in eo Codicum servare lectionem.

Denique si qui erunt, qui particulam desiderent, qua alterum membrum *ἄτε λευκὸν ἔαρ* etc. jungatur cum priore *ὥς ἀντέλλοισα* etc., talem particulam certe non necessariam esse edocebuntur uno Theocriti loco Idyll. 12, 3. seqq.

ὅσσον ἔαρ χειμῶνος, ὅσσον μῆλον βραβύλοιο
ἦδιον, ὅσσον οἷς σφετέρῃς λασσιωτέρῃ ἀρνός,
ὅσσον παρθενικῇ προσφέρει τριγάμοιο γυναικός,
ὅσσον ἐλαφροτέρῃ μόσχον νεβρός, ὅσσον ἀηδῶν
συνπάντων λιγύφωνος ἀοιδοτάτῃ πετεηνῶν,
τόσσον ἔμ' εὐφρηνας σὺ φανείς etc.

Jam vero quum praestitisse nobis videamur, quae suscepimus, ut finem tandem aliquando huic libello imponamus, postremo loco adponere liceat Ovidii versus Hersae pulchritudinem celebrantes, quos Theocriti Helenae laudationem referre quodammodo arbitreris, Metam. II. 722 seqq.

Quanto splendidior, quam cetera sidera, fulget
Lucifer, et quanto te, Lucifer, aurea Phoebe,
Tanto virginibus praestantior omnibus Herse
Ibat eratque decus pompae comitumque suarum.

et vs. 38. seqq.

ὦ καλὰ, ὦ χαρίεσσα κόρα,
ἄμμες δ' ἐς δρόμον ἤρι καὶ
ἐρψοῦμες στεφάνως δρεψεύμ
πολλὰ τεοῦς, Ἑλένα, μεμνα

Illud igitur tempus respicientes, quo cum He
virgines dicere nisi *διεφαίνετ' ἐν ἁμῖν*. I
vs. 26. In talibus enim comparationibus ets
quoniam non minus frequens est imperfectum
lectionem.

Denique si qui erunt, qui particulam desic
κὸν ἔαρ etc. jungatur cum priore ὡς ἀντέλ
necessariam esse edocebuntur uno Theocriti

ὅσσον ἔαρ χειμῶνος, ὅσσον μ
ἡδίων, ὅσσον οἷς σφετέρης λ
ὅσσον παρθενικὴ προσφέρει
ὅσσον ἐλαφροτέρη μόσχου νε
σμπάντων λιγύφωνος ἀοιδος
τόσσον ἔμ' εὐφρηνας σὺ φρα

Jam vero quum praestitisse nobis videar
aliquando huic libello imponamus, postremo
Hersae pulchritudinem celebrantes, quos Theo
dammodo arbitreris, Metam. II. 722 seqq.

Quanto splendidior, quam ce
Lucifer, et quanto te, Lucif
Tanto virginibus praestantior
Ibat eratque decus pompae

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

R

G

B

TIFFEN® Gray Scale

W

G

K

C

Y

M

© The Tiffen Company, 2007

